



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

29 Confidentia illicita in resignationibus tantum simplicibus committitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

lem ex vtraque parte completam committit, vt ait Nau. in Man. c. 23. nu. 101. vnde cum titulus beneficii, quem per talem renunciationem simoniacam habuit, sit nullus, ad restitutionem fructuum male perceptorum pauperibus, vel operibus pijs tenetur. Quod si aliquod aliud beneficium ante simoniam præfatam obtinuerit, illud in foro conscientie retinere potest, non autem si postea fu erit obtentum.

DECISIO XX.

Ex consil. 19. de est. in Nguis.

20 **R**esignans beneficium in fauorem alterius, & præter duas pactiones illicitas, & simoniacas, adicit tertiam, scilicet vt is in cuius fauorem resignat, teneatur soluere pensionem etiam literis non expeditis, si obtenta sit absolutio super duab. pactiõibus prioribus, tacita tertia, tertia hæc simoniaca erit, & gratiam annullat etiam si per talem pactiõnem promittens nihil perdat, nec aliquid promissio acquiratur, & tot excommunicationes incurrit, quot pacta simoniaca fuerunt, & ideo tot necessariae sunt absolutiones quot erant excommunicationes, vel vna quæ tribus respondeat. ca. ex parte. de offic. ordin.

DECISIO XXI.

Ex consil. 20. alias 4.

21 **E**piscopus beneficium simplex conferens vni cum pacto, & conditione, vt dimidium fructuum det alteri, & alter collationem hanc cum prædicto pacto, & conditione acceptat, & capta possessione dimidium fructuum alteri, vterque simoniam realem committit; Cum omne pactum, modus, & conditio (quæ iure non inest) collationi beneficii adiecta eam simoniacam efficit, c. quem Pio. 1. q. 2. & ca. fin. de pact. glos. in c. dudum. de præb. in 6. quæ & realis erit, si ab vtraque parte completa sit, & proinde censuras inducit.

DECISIO XXII.

Ex consil. 21. alias 8.

22 **L**ectores beneficii curam animarum habentis digniorem eligere tenentur, c. licet. 8. q. 1. c. vnum. §. nunc autem d. 26. & S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 3. ad tertium. Quod si absque causa rationabili minus dignum eligant, mortaliter peccant in acceptione personarum, valet tamen electio, dum modo dignus eligatur, & si dignum eligant omisso digniore ad restitutionem non tenentur; secus tamen si indignum eligant, & exinde aliquod malum secutum fuerit; in quo casu restitutio faciendâ est ecclesie læsæ, non autem digniori præter missio. ex Nauar. in Man. cap. 17. num. 72. & 73.

DECISIO XXIII.

23 **L**ectores beneficiorum parochialium inter se conuenientes, vt in vacationibus occurrentibus ita eligant de seipsis, vt pro nullo alio suffragia ferant, donec ipsi omnes curati fiant, simoniam mentalem, & conuentionalem tantum committunt, dum modo completa non fuerit; Nam si ab vtraque parte completa fuerit, simonia realis erit, vt ait Nau. in Man. c. 23. num. 100. & in excommunicationem incidunt; Ex tra. 2. de simo. & si ante absolutionem a Papa obtentam Missam celebrent, irregulares efficiuntur. c. 2. & c. si celeb. de cleric. exc. min.

DECISIO XXIV.

Ex consil. 22. alias 43.

24 **R**enunciens beneficium alicui secundo cum pacto, vt secundus ite efficeret, vt tertius quidam renunciaret aliud beneficium in fauorem ipsius primi renunciantis, simoniam conuentionalem committunt; ea quam pio. 1. q. 2. & ca. si de pact. Quod si alter compleat, quod promissit, procurando vt tertius in fauorem primi renunciantis renunciaret, & primus renuncians præstat etiam quod promissit renunciando beneficium suum in fauorem illius secundi, prædicta simonia conuentionalis, facta est realis, ex vtraque parte completa, & om-

nes tres in censuras incidant, Extra. 2. de sim. & tales renunciations vtpote simoniacæ, nullæ & irritæ sunt.

DECISIO XXV.

Ex consil. 23. alias 14.

25 **R**enunciens beneficium simplex principaliter alicui beneficius præsentandi ad dignitatem vacantem, vt exinde ad eam dignitatem præsentetur, si patronus eum propter dictam renunciationem præsentet, illam vt præteritum renunciatio nis accipiendõ, simoniam realem ex vtraque parte completam committunt; cum omne huiusmodi pactum etiam si nihil temporale deor, vel accipiatur, simoniam sit: c. quam. pio. 1. q. 2. c. cum pridem. & c. si. de pact. & Nau. in Man. c. 23. nu. 103. & consequenter excommunicationem incurrit vnde & præsentatio sibi a patrono, & institutio ob eam ab Episcopo factæ inualidæ, & nullæ sunt, nec fructus facium suos; secus autem si renunciatio, & præsentatio illa mutua factæ erant secundario, & vt causa impulsua tantum: tunc enim nullam in foro conscientie simoniam committunt; ex S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. Caiet. ibid. Ad. quodl. 9. ar. 2. Quamuis in foro exteriori iuste simoniam commississe præsumi possint.

DECISIO XXVI.

26 **Q**ui mutuant Episcopo noue prouiso summam pecunie principaliter & immediate, vt ei beneficiat & ad ineundam amicitiam, sperans tamen secundario vt sibi, vel alij beneficium conferat, simoniam non committit eo quod non mutuat pro pretio, vel causa principali, & immediata querendi aliquid spirituale, ita S. Thom. Caiet. & Aar. vbi sup. & gl. in c. cum esset. de simon.

DECISIO XXVII.

Ex consil. 24. alias 13.

27 **R**enunciens, resignatarius, & præsentator alicuius ecclesie parochialis inter se conuenientes, vt resignatarius a patrono ad dictam ecclesiam præsentetur, & renuncianti pro pensione centum aureos soluat; Si renunciens dictam ecclesiam in manibus ordinarij renunciat, & illa præfator resignatario conferatur cum mandato ad consentiendum prædictæ pensioni, quod tamen Papa non vult admittere, & ideo eam non soluit, tria pacta simoniaca committunt. arg. c. quam. pio. 1. q. 2. & c. si. de pactis, & dictus resignatarius titulum canonicum illius ecclesie non habet, cum eius præsentatio simoniaca fuerit.

DECISIO XXVIII.

Ex consil. 25. alias 12.

28 **P**ræsentatio facta alicui beneficium litigiosum cum pacto, quod nisi præsentatus intra tempus a iure prosequatur suam præsentationem in solidum, præsentans contrauenire possit præsentationi, & ea agere, quæ forent opportuna, & necessaria, nõ est simoniaca, cum per talem conditionem, & clausulam appositam solum intelligatur potestas referuari faciendi ea, quæ iure communi præsentans, non prosequente præsentationem præsentato, facere potest: Siue enim præsentatus ob mortem omittit causam prosequi, vel quia renunciaret iuri suo, vel quin ob hæresim, vel aliud crimen iure suo priuaretur, verè & proprie dicitur non prosequi causam, in quibus omnibus casibus iure communi licitum est præsentanti alterum præsentare. cap. licet. 2. de præbend. in 6. & capit. si electio de elect. in 6.

DECISIO XXIX.

Ex consil. 26. alias 77.

29 **P**ermutatione beneficiorum inter duos iuridice facta, si alter recepta possessione beneficii per permutationem quæstus, fructus etiam antiqui beneficii collati competenti non dum possessionem adepro accipiat in penas Bullatum Pij I. V. & Pij V. de conscientia non incurrit, cum Bullæ illæ solum conscientias illicitas, & simoniacas includant, vt ait Nau. in Manu. capit. 3. numet. 101. & 110. Hæc

Hæc vero permutatio iuridice facta est: Sed & Bulla Pij V. solum de resignationibus beneficiorum, quæ simpliciter in fauorem aliquorum sunt, & non de illis, quæ per permutaciones iuridicas sunt, intelligitur.

DECISIO XXX.

Ex conf. 27. alias 79.

Habens beneficium sufficiens, & capellaniam ex resignatione accipiens cum intentione illam renunciandi ad nullum resignantis, penas Bullarum Pij I V. extrau. Rom. conf. 109. & Pij V. extrauag. Intolerabilis. conf. 87. contra confidentias illicitas, & simoniacas publicatarum, non incurrit; Eo quod hic nulla conuentio, aut pactum illicitum interuenit, sed sola intentio vnius partis, vel ambarum, quæ simoniam non inducit; ex Nauar. in Man. cap. 23. num. 109. Quamuis beneficium sufficiens post Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 17. de reſcriptis cum tali Capellania incompatible sit; secus vero si beneficium illud ante dictum Concilium acceptum sit; tunc enim illud tuta conscientia obtinens retinere potest ita Nauar. in Man. cap. 23. nu. 125.

DECISIO XXXI.

Ex conf. 28. de est in Nouis.

Renunciatio Canoniam in fauorem alicuius simpliciter, nulla sibi reseruatã pensione, habito tamen antea ab illo in cuius fauorem renunciat, mandato de conscientia do sibi circa reservationem pensionis centum aureorum super fructibus dicti Canoniam, quo tamen mandato ad euitandas impensas vti noluit; Non potest tuta conscientia resignatarius obligare se donare quotannis sexaginta aut eos resignanti in fructum gratitudinis, obstante quoad hoc Bulla Pij V. Extra Intolerabilis etc. & Nauar. in Man. c. 23. num. 110. Habet enim Bulla expresse renunciantem aliquod beneficium ecclesiasticum in fauorem alicuius, & postea recipientem a resignatorio pensionem aliquam vel aliquos fructus sibi, vel cognatis suis vel cuiusque alteri confidentiam, & penas contentas in Extra. 2. de simon. incurrit; & talis collatio Canoniam prædictam tanquam simoniaca nulla, & irrita censetur.

DECISIO XXXII.

Ex conf. 29. alias 81.

Impetrans a Papa beneficium suo familiari, & signata supplicatione per Papam, sollicitatori suo iubet, ne curet literas expedire; si dictus familiaris hoc intelligens præfate impetranti dicat se cum omnibus quæ habet, & etiam dictum beneficium eius obsequio, & voluntate esse paratum, & huiusmodi dictis impetrans beneficium respondet, se esse contentum, ut ipse literas expediat, & possessionem capiat; expeditis literis, & capta possessione, familiaris iste penas confidentie in Bullis Pij I V. & Pij V. contentas non incurrit; Quia licet interuenit promissio specialis de disponendo de beneficio tali ad habitum impetrantis illud, talis tamen promissio a familiari facta fuit generalis ad complacentiam, nihil certum, aut obligatorium impetranti promittens, sed solum per verba generalia, & iactatoria ad alterius complacentiam, ex quibus verbis non nascitur aliqua obligatio, c. cum venissent. de infir. confidentia vero per verba generalia iactatorie non inducitur, sed præterea antequam illa promissio, vel oblatio iactatoria facta fuerit, dicto familiari per solam collationem sine natura à Papa factam, ius in beneficio acquisitum fuit. cap. pen. & c. si tibi absentem. de concess. præb. in 6.

DECISIO XXXIII.

Ex conf. 30. alias 73.

Collatio beneficii per simoniam inter alios inita facta ignorantibus ipso iure valida est; & fructus ius dum simoniam ignoret; facti suos; unde neque ipse, neque heredes eius ad eorum restitutionem tenentur; quam primum autem illam commissam fuisse cognouerit, beneficium illud renunciare, & fructus postea perceptos restituere tenetur. l. q. i. cap. iam inquit, & cap. turbatur. d. non itaque. & c. ex inſinuatione, & c. nobis, & c. de simoniaca. de simon.

DECISIO XXXIV.

Ex conf. 31. alias 58.

Resignans Canoniam in manibus Papæ in fauorem alterius, cum reservatione certæ pensionis in fauorem tertij, post Bullas expeditas is, in cuius fauorem canonicatus resignatur, heredibus tertij, in cuius fauorem reseruata fuit pensio pensiones postea decursas, & non solutas, petentibus illis soluere, vel canonicatum, super quo pensio illa constituta fuit relinquere debet; Cum enim in constitutione dictæ pensionis nulla confidentia interuenit, valida fuit illa pensionis constitutio; Sin vero resignatarius pensionis nullitatem causet, quia in renunciatione interuenit confidentia simoniaca constitutionem pensionis annullans, fortiori interuenit confidentia annullans renunciationem, ob quam pensio constituta fuit, ut proinde resignatarius canonicatum relinquere teneatur; quia in Bullis Pij I V. Extrau. Romanum, edita anno 1564. & Pij V. Extrau. Intolerabilis edita anno 1569. magis vetatur renunciatio fiducia, quam pensio ob eam constituta ita Nauar. in Man. c. 23. nu. 110.

DECISIO XXXV.

Ex conf. 23. de est in Nouis.

Renunciatio fructuum decursorum inter colligatores non est simonia ea, nisi inter eos pactum aliquod super re spirituali de relinquendo, vel illam tradendo, interueniat.

DECISIO XXXVI.

Ex conf. 33. alias 80.

Impetrans beneficium pro fratre suo & literis expeditis statim de tali beneficio pro eo impetrato certiore faciens & simul significans se dictum beneficium impetrasse pro eo, ea spe, quod ipse postquam sustentationem sibi sufficientem adeptus esset, illud in sui fauorem resignare quam postea frater resignauit in eius fauorem, nullam in tali impetratione, vel accepta, aut facta resignationem illicitam, aut simoniacam confidentiam admittit; ex Nauar. in Man. cap. 23. num. 109. Quandoquidem nullum ibi pactum, aut conuentio interuenit ante impetrationem, aut literarum expeditionem inter ipsam, & fratrem suum; Neque illa ratione illicitum est sperare aliquod beneficium ecclesiasticum a Prælato, vel ecclesia, vel patrono cui seruit ad habendum illud dummodo cessant pacta, & obligationes ciuiles addite obligationi naturali, & antidotali, qua beneficiarius pro bono accepto tenetur. cap. si officia. d. 59. & c. quid proderit. d. 61.

DECISIO XXXVII.

Ex conf. 34. alias 92.

Committens simoniam in beneficio, stante Bulla Pij V. contra simoniacos lata extrau. Cum primum, edita Anno 1566. ipso iure non fit inhabilis ad illud, & quodcuque aliud adipiscendum, & iam adeptum cum præfata Extrauagans ita intelligenda sit; ut locum non habeat in foro conscientie ante sententiam, pena vero ante quam infligitur conscientiam non ligat; ex S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3. maxime cum penæ restringendæ sint; cap. Penæ. de pan. d. 1. Et quia in dubio penæ per verba futuri temporis (quales sunt penæ præfate extrauagantis) non censentur ipso iure impossitæ; ax gl. in c. in penis de reg. iur. in 6. Neque prædicta constitutio quoad hunc effectum vti videtur recepta; cum tamen a multis circa beneficia simonia committatur; lex autem quæ non est vti recepta in conscientia non ligat. cap. non ligat. 9. leges d. 4. & Nauar. in Man. c. 23. nu. 64.

DECISIO XXXVIII.

Ex conf. 35. alias 91.

Um irregularitas non incurritur nisi in casibus a iure expressis, cap. is qui. de senten. excommunic. in 6. simoniacus in beneficio, quamuis ipso iure excommunicatus sit & consequenter durante excommunicatione ad beneficia consequenda inhabilis sit, sicut quilibet alius excommunicatus.